C

NOMINA.

Testiculus canis, Orchis cur dicta. Cynosorchis.

ΟΡΧΙΣ ἡ καὶ ὄρχις Græcis, Orchis & Cynosorchis Latinis, Testiculus canis officinis, Germanis Knabenkraut uocatur. Orchis dicta hęc herba est, quod radices sibi inuicem haud secus atque duo testiculi cohæreant. Cynosorchis uerò, quod canum testiculis similem radicẽ habeat.

GENERA.

Orcheos duo esse genera animaduertimus, marem nimirum & fœminam. Mas in uniuersum maior quàm fœmina procerioráq; est, ut pictura ipsa pulchrè declarat. Estq; duorum generum. Vnum latioribus foliis & candicantibus ferè floribus, quod Orchin marem latifoliam uocauimus. Alterum quod angustioribus foliis, & maculosis magis, floribusq; purpureis constat. Nos maioris discriminis rationem habentes, Orchin marem angustifoliã nuncupauimus. Fœmina itidem duorum est generum: una enim maior, altera minor est, ut pictura satis demonstrat.

FORMA.

Folia habet circa caulem & ima eius parte per terram strata, oleæ molli similia, angustiora tamen, leuia & longiora. Caulem dodrantali altitudine, in quo purpurei flores. Radicem bulbo similem, oblongam, duplicem, in modum oliuæ angustam, superiorem alteram, inferiorem alteram: & hanc quidem mollem ac rugosam, illam uerò plenam.

LOCVS.

Nascitur locis, Dioscoride autore, petrosis & arenosis. In Germania certè nostra
D in hortis & pratis, locisq; fabulosis copiose prouenit.

TEMPVS.

In Maio & Iunij principio carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius maior calida & humida est, gustantibusq; dulcior esse apparet. Minor admodum elaborata est, ad calidius siccius q; tendit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix editur ut bulbus cocta. Fertur de ea, si maiorem edant uiri, mares generari: minorem uerò fœminæ, fœminas. Addunt etiam in Thessalia mulieres paruam cum caprino lacte bibendam dare, ut ad uenerea excitent: aridam uerò ad inhibenda atque dissipanda. Alterum etiam alterius potu resolui.

EX GALENO.

Radix maior Orchios multam uidetur habere humiditatem excrementitiam & flatuosam: quapropter pota Venerem excitat. Altera uerò, minor uidelicet, contrà non modo non stimulat ad coitum, sed planè cohibet ac reprimit. Eduntur bulborum more assæ.

EX PLINIO.

Tumores & uitia partium earum erumpentia, cum polenta illita radix sedat, uel per se trita. Eadem ex lacte ouillo neruos intendit, & ex aqua remittit.

TRIORCHIS SERA
PIAS MAS.